Christiani hisu ão 97. d. 25. Junii

Sum C[illegible]
ad 1686. 3. 7bris.

vide Dreieri diss. 9" Pontificios de hac materia ao 1649. editam p. 831.

DE

PRINCIPIIS FIDEI CHRISTIANÆ,

SIVE

DE CREDENDI REGULA

DISPUTATIO VIII,

Quâ

Porro, Christum jam venisse,

contra Judæos demonstratur,

DEO feliciter juvante

publicæ ventilationi subjecta,

PRÆSIDE

CHRISTIANO DREIERO,

S. THEOLOG. D. ET PROF. PRIMAR.

h. t. ACADEMIÆ RECTORE,

RESPONDENTE

MICHAELE GEISLERO,

Uratislaviâ-Silesio

Ad diem 27. Januar. in Auditorio majori horis antemeridianis.

Regiomonti, Anno M. DC. LXVII.

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. & ACAD. TYPOGR.

VIRIS
Prudentiâ & rerum usu
Præpollentibus,

Prænobilissimo & Strenuo

DN. FABIANO KALCAW

ab Hofe / Serenissimi Electoris Brandenburgici â Consiliis, & Supremi, quod in Borussia est, Regiminis â Secretis, & negotiis feudalibus, Hæreditario in Praßnicken.

Nec non

Nobilissimo & Amplissimo

DN. PETRO KALCAW/

Serenissimi Electoris Brandenburgici Per Borussiam Quæstori, & rerum bellicarum Commissario.

DNN. Patronis, Mecœnatibus, Hospiti, Promotoribus summô ac æviternô observantiæ cultu suspiciendis.

Publicum hoc studii Theologici exercitium in perpetuum debitæ reverentiæ ac piæ gratitudinis characterem, & ulteriorem sui suorumq; studiorum commendationem cum omnigenæ salutis voto

D. D. D.

RESPONDENS.

COROLLARIA.

I.

JUdæos qui convincere & convertere conatur, primùm omnium, Meſſiam jam veniſſe, probet neceſſe eſt.

II.

Qui â myſterio Trinitatis cum Judæis agere incipiunt, eos â fide avertunt.

III.

In vaticinio Jacobi Patriarchæ, Geneſ. XLIX, 10, olim non fuit lectum Silo.

IV.

Tempore captivitatis Babylonicæ non defecit ſceptrum â Juda.

V.

Necdum Herodis tempore ſceptrum â Juda planè fuit ablatum, neq; venire debuit Meſſias eô prorſus ablatô,

VI.

Judæos adhuc ſceptrum aliquod & legislatorem habe-

habere, non solùm cum experientia, sed & cum scriptura ipsa manifestè pugnat: Dum enim non habent *sacrificium, nec altare, nec Ephod; nec regem quoq; nec principem habere* possunt, Oseæ III. 4.

VII.

Fabula videtur, quod dicit Jacobus de Vitriaco, licet in Oriente versatus, Historiæ Hierosolymitanæ cap. LXXXI. *Maxima pars eorum* (Judæorum) *seorsum habitat in illis partibus Orientis, in quibus infra Caspios montes Rex Macedonum Alexander eos fertur inclusisse, qui temporibus Antichristi educendi sunt, & ad terram sanctam reducendi.*

VIII.

Hoc ipso tempore cum Judæi vivant *sine Rege, principe, sacrificio, altari, Ephod, Teraphim*, & jam diu sic vixerint, restat, ut tandem *quærant iterum Dominum Deum suum, & David regem suum*, Oseæ III. 4. 5. id est, Christum Dominum nostrum, ex prosapia Davidis oriundum.

VII. Hi quadringenti nonaginta anni incipiunt, ut dicit Daniel, ab exitu verbi, quòd ædificanda iterum esset Hierosolyma. Cyrus verò Persarum rex anno I. regni, ex quo scilicet Babylone regnavit, Judæis potestatem fecit redeundi in patriam & urbem ac templum é ruderibus excitandi, ad quod & vasa templi, quæ Nabochodonosor abstulerat, restituit, uti legere est lib. II. Paralip. cap. XXXVI. 22. Esdræ I. 1, 7. cap. V. 13. cap. VI. 3. apud Josephum lib. XI. Antiq. cap. I. Et hoc valde notabile est mandatum ab ipso Esaia prædictum cap. XLIV. 28. cap. XLV. 1. Nec segnes erant Judæi: Zorobabel dux & Josua seu Jesus Josedec Pontifex ibant in Judæam & operis initium faciebant; sed mox ab hostibus accusati desistere à cœpto jubebantur, Esdræ IV. 5. quam accusationem & sub regibus sequentibus iterarunt, & novæ inhibitiones secutæ sunt, Esdræ IV. 12. 24. Tandem anno secundo Darii regis rem denuo aggrediebantur, à Prophetis Haggæo & Zacharia excitati & animati; Darius quoq; edito novo mandato potestatem antea datam ipsis confirmabat, cap. V. 1. & seq. cap. VI. 8. & seqq. Porro anno septimo Artaxerxis Esdras cum aliis adhuc diplomatis Hierosolymam veniebat & cœptum opus promovebat, Esdr. VII. 6. Deniq; anno vigesimo Artaxerxis Nehemias in Judæam proficiscebatur, stipatus literis regiis, & structores hortabatur, ipsisq; auxilium ferebat, atq; sic totum opus perfectum est, Nehem. II. 1. & seqq. Diversa edicta regum Persiæ, diversa hebdomadibus initia dederunt, ut quidam à Cyro, quidam à Dario, quidam ab Artaxerxe eas inchoent. Sed id nobis in præsenti perinde esse potest: Undecunq; enim anni hi quadringenti nonaginta initium ducant, constat, quòd jam pridem elapsi sint. At verò intra spacium horum annorum Messias venturus erat: Id enim indicat Daniel, dum dicit, quod *peccatum sit expiandum & sempiterna justitia adducenda, & sanctus sanctorum ungendus.* Quis enim est sanctus sanctorum vel etiam sanctitas sanctitatum, quàm Messias

Diss. 8. Resp. Michaele Geislero, Uratisl. Silesio.

as? Et quis potest expiare peccatum, & justitiam perpetuam hominibus dare, quàm Messias? Ipse est, qui *justitiam amat, unctus oleo lætitiæ*, id est, Spiritu S. *præ consortibus suis*, Psal. XLV. 9. ubi Targum habet: *Et tu Malca Meschicha Rex Messia, propterea quod dilexisti justitiam & odisti improbitatem, ideo unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ abundantius, quàm consortes tuos.* Huc quoq; spectant verba Esaiæ XI. 1. & seqq. *Prodibit surculus de stirpe Jessæ & flos de radicibus ejus nascetur; super quo Spiritus Domini requiescet,---judicabit cum justitia pauperes, & cũ æquitate arguet pro mansvetis terræ: Et erit justitia cingulum lumborum ejus.* Quæ verba Targum Jonathan sic reddidit: *Egredietur rex de filiis Jesse & Messias de filiis filiorũ ejꝰ ungetur. Et residebit super eũ Spiritꝰ prophetiæ à facie Domini--- Et erunt justi in circuitu ejus, & fideles accedent ad eum. In diebus dimschicha Messiæ Israelis multiplicabitur pax in terra.* Scriptura scripturæ consonat: Sicut in his locis prophetia de Messia continetur; sic & in illo Danielis, cùm planè similes sint, & eadem verba utrobiq; usurpentur. Sed & ipsorum Rabbinorum super illis verbis Danielis interpretationem habemus. In Bresit Rabba ad illa verba, *Melchisedec Rex Salem &c.* Gen. XIV. 18. sic legimus: *Hæc dicit Dominus: Custodite judicium & facite justitiam* (Esa. LVI. 1.) *Dixit Rabbi Berachias hæc sunt mandata & opera bona. Quia proxima est salvatio mea ad veniendum, & justitia mea ad revelandum: Iste est Melech Hammaschiach rex Messias, de quo scriptum est* (Dan. IX.) *Et ad adducendam justitiam sempiternam.* R. Mose Ben Nachman Gerundensis super Danielem hæc habet: *Sanctitas sanctitatum, hu Maschiach ipse est Messias, sanctificatus de filiis David.*

VIII. Quid hîc verò Judæi objiciunt? Primùm dicunt, Danielem non fuisse Prophetam, nec inter prophetas numeratum. Fatemur, quod liber Danielis non inter scripta Nebhiim prophetarum, sed Cethubim Hagiographa à Judæis referatur, sed hoc veritati verbi ejus nihil derogat: Hagiographa enim

sunt

sunt scripta per Spiritum Sanctum seu regimen Spiritus Sancti integris sensibus; prophetia autem habetur per somnium, visionem, auditionem vocis, ecstasin & alienationem mentis, sicut & dicitur Num. XII. 6. *Si fuerit propheta Domini inter vos, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum*: ut differentiam hanc ipsi tradunt Rabbini, R. David Kimchi Præfat. in Psalmos, R. Mose Maimonides in More Nebochim seu Doctore perplexorum part. II. cap. 45. In modo scilicet vaticinandi, non vaticinii veritate & auctoritate discrimen est. Aliàs si à futurorum prædictione prophetam dicamus, Daniel sanè præstantior cæteris fuit. *Omnis eximia felicitas, ut prophetæ excellentissimo ei contigit*, ait Josephus Rabbinorum non postremus, lib. X. Antiquit. cap. XII. Et mox: *Libri enim ejus, quos conscriptos reliquit, etiamnunc apud nos leguntur, qui nobis certam fidem faciunt, quod Deus cum eo colloquia miscuerit: Non solùm enim futura prædixit, quemadmodum alii prophetæ; verùm etiam tempus, quo eventura essent, præfiniit.* In libro Megillæ, capite, quod incipit Megilla Nikrath, sic scribitur: *Baruch filius Nerija, & Sarija filius Machasiah, & Jeremias filius Chilkia, & Daniel vir desiderabilium, & Mardochæus, Balsam, Zacharias, Haggæus & Malachias omnes prophetarunt anno secundo Darii.* In Talmud, Tractatu Sanhedrin cap. XI. hæc leguntur: *Ipsi* (Haggæus, Zacharias, Malachias) *erant Daniele præstantiores, quia erant Prophetæ, Daniel verò non erat Propheta. Daniel tamen erat illis præstantior, quia ille videbat visionem* (Daniel. X. 7.) *illi verò non videbant.* R. Moses Maimonides in More Nebochim Part. II. cap. 45. cum exposuisset, cur Danielis visiones ad Hagiographa, non ad prophetiam pertinerent, subdit: *Annumeratur* (Daniel) *iis, qui loquuntur motu Spiritus S. quæ est secunda species prophetiæ. Ideoq; in serie scripturarum sacrarum nullam differentiam statuerunt inter Proverbia, Ecclesiasten, Danielem, Psalmos, Ruth, & Esther, quia omnes isti libri*

Spiritu sancto dictante scripti sunt. Generaliter tamen etiam prophetæ vocantur. Secundò objiciunt, non intelligi hebdomadas annorum, sed jubilæorum, quæ faciunt annos ter mille quingentos. Sed scriptura alias hebdomadas non novit, quàm dierum & annorum: hebdomades jubilæorum commentum Judaicum sunt. Deinde dicuntur hebdomades *abbreviatæ*, id est breves & modici temporis, sicut & Haggæus II. 7. eas *modicum* tempus vocat; at anni 3500. non modicum, sed longissimum temporis spacium sunt. Deniq; Daniel indicat, quod in medio hebdomadis, ultimæ scilicet, deficere debeat sacrificium & oblatio: Id verò jam pridem impletum esse constat. Tertiò objiciunt, sermonem esse non de Messia, sed de templo, quod vocetur sanctitas sanctitatum; & has hebdomadas initium sumere ab eo tempore, quo Jerusalem per Nabuchodonosarem fuit vastata, & sic septuaginta captivitatis annos in his hebdomadibus includi, quod probant ex cap. IX. 2. ubi dicit Daniel, quod intentus fuerit septuaginta annis à Jeremia significatis; nihilq; aliud indicari, quàm septuaginta annos duraturum excidium templi primi, & quadringentos viginti perstiturum secundum: Si enim anni quadringenti viginti addantur septuaginta annis, fieri quadringentos nonaginta, qui sunt septuaginta hebdomades. Sed clara verba Danielis evincunt de Messia hæc accipienda esse: Dicit enim *visionem esse obsignandam, & æternam justitiam adducendam*, quod est opus Messiæ, & cum dixit sanctitatem sanctitatum ungendam, mox explicat illud per *Messiam ducem*, dum subdit: *Scias usq; ad Messiam ducem fore septem hebdomadas & sexaginta duas hebdomadas.* Item: *Post hebdomadas sexaginta duas excidetur Messias.* Nec præsidium in eo habent, quod *sanctitas sanctitatum* dicatur: quia multò majori jure id nomen Messiæ competit, quàm templo sæpius prophanato. Et deinde tantùm Judæi sic legunt per puncta Masoretica ab ipsis adscripta, Kodes Kadasim, quæ puncta si deman-

tur

tur, multò rectius legitur Kedos Kedosim sanctus sanctorum: quomodo olim LXX. Interpretes itidem Judæi legerunt, & Latinus Vulgatus, & Syrus, & Arabs. Præterea dicit Daniel sanctum sanctorum ungendum, quomodo autem templum unxerunt, vel ungere potuerunt, cum oleum unctionis cum primo templo defecerit? Porro, quis non videt, ab exitu verbi de extruenda iterum, non de destruenda Hierosolyma septimanas has numerari? Daniel quidem cogitavit de septuaginta annis à Jeremia definitis, sed non dicit, inde septimanas inchoandas esse. Et ubi manent anni, quibus ædificatum est templum, quia tantùm numerant septuaginta annos captivitatis, & quadringentos viginti annos, quibus templum secundum steterit? Deniq; nugas has ipse R. Aben Ezra in Daniel. IX. his refutat: *Miror super verbis expositorum, quomodo jungatur desolatio & status* (templi) *uno computo; hæc expositio non habet odorem neq; saporem.* Quartò ajunt, per Messiam seu unctum intelligi Cyrum, per alterum unctum, qui excindendus erat, Herodem Agrippam. Sed in textu dicitur non simpliciter Messias, verùm *Messias Nagid principalis:* Quis autem est Messias principalis, nisi qui *unctus est oleo lætitiæ præ consortibus, quiq; solus peccatum expiare & sempiternam justitiam adducere potest?* Nec dicit Daniel, usque ad Messiam hebdomadas septem tantùm esse venturas, sed septem & sexaginta duas. Herodes Agrippa quidem cælitus percussus interiit, sed post illum adhuc fuit Herodes IV. frater ipsius, & pontifices, & proinde alii adhuc uncti extiterunt, si ita eos appellare liceat, cum unctione spiritus planè fuerint destituti, nec oleum corporale habere potuerint. Et num in Agrippam & alium quemvis talia nomina & opera competunt, qualia hîc Messiæ tribuuntur?

IX. Sed quomodo Patres ex hoc loco Judæos convicerint, inquiramus. Tertullianus in libro adversus Judæos, ante medium, legit: *Ut signetur visio & prophetes, & ungatur sanctus sancto-*

ſanctorum, non ſanctitas ſanctitatum. Et poſtea ſic loquitur: *Providens autem Deus, quid eſſet futurum, & quoniam non tantùm non recipient eum, verùm & inſequentur, & tradent eum morti, & recapitulavit & dixit: In LXII. hebdomadibus naſci illum & ungi ſanctum ſanctorum. Hebdomades autem ſeptem & dimidia cum implerentur, pati habere, & civitatem exterminari poſt unam & dimidiam hebdomadam, quo ſcilicet ſeptem & dimidia hebdomadæ completæ ſunt. Dicit enim ſic: Et civitatem & ſanctum exterminari cum duce venturo, & concidentur ſicut in cataclyſmo, & deſtruet pinnaculum usq; ad interitum. Unde igitur oſtendimus, quoniam venit Chriſtus intra LXII. & dimidiam hebdomadas.* Numerat autem has hebdomades à primo anno Darii Medi, & recenſitis ſingulorum regum annis, terminat eas in deſtructione Hieroſolymæ, & ſubjicit: *Igitur expletis his quoq; temporibus, & debellatis Judæis, poſtea ceſſaverunt illic libamina & ſacrificia, quæ exinde illic celebrari non potuerunt.* Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum, ſupra medium, itidem legit ἅγιον ἁγίων *ſanctum ſanctorum.* Numerat autem ille annos hos à primo anno ~~Cyri~~ & decurrit itidem ſeriem temporum juxta regum ſingulorum annos usq; ad excidiũ urbi & templo illatum à Veſpaſiano & Tito, additis in ipſo numero duobus millibus trecentis diebus, quorum fit mentio Dan. VIII. 14. Ideo ait in ſequentibus: *Dixit bis mille trecentos dies fuiſſe, ex quo ſtetit abominatio à Nerone in civitatem ſanctam usq; ad ejus everſionem.* Hippolyti ſancti martyris ſententiam recenſet Hieronymus lib. I. Commentar. in Daniel. IX. dum ait: *Hippolytus autem de iisdem hebdomadibus opinatus eſt ita: Septem hebdomadas ante reditum populi ſupputat; & ſexaginta duas poſt reditum usq; ad nativitatem Chriſti.* Et addit ſuum judicium Hieronymus: *Quarum tempora*, inquit, *omnino non congruunt. Si quidem regni Perſarum ducenti & triginta ſupputentur anni, & Macedonum trecenti, & poſt illos usq; ad nativitatem Domini anni triginta:*

triginta: hoc est, ab initio Cyri regis Persarum usq; ad adventum Salvatoris, anni quingenti sexaginta. Novissimam quoq; hebdomadam ponit in consummatione mundi. Origenes initium harum hebdomadum à Dario ducit, pariter ut antea Tertullianus, in X. libro Stromatum, quos quidem libros ejus non habemus amplius, declarat autem sententiam ejus itidem Hieronymus l.cit. dum ait: *Hæc in decimo Stromatum volumine breviter annotavit: Studiosius requirenda sunt tempora à primo anno Darii filii Assueri usq; ad adventum Christi, quot anni sint, & quæ in illis gesta dicantur, & videndum est, an ea possimus adventui Domini coaptare.* Habet & expositionem dicti hujus Tract. XXIX. in Matthæum, sed mysticum sensum quærendo, illud non parum obscurat & pervertit. Africanus lib. V. de temporibus hanc rem itidem diligenter pertractavit, sed libri ejus interierunt. Citantur autem verba ejus satis prolixè ab Eusebio lib. VIII. Demonstrationum Evangelicarum, & ab Hieronymo lib. I. Commentar. ad Danielis IX. Initiò quidem: *Nulli*, inquit, *dubium, quin de adventu Christi prædicatio sit:* ut putem, ne ipsos quidem Judæos tunc hanc rem in dubium vocâsse. Ita quoq; & ipse legit: *Unctus est sanctus sanctorum.* Incipit autem has hebdomadas à vigesimo anno Artaxerxis regis Persarum, dum ait: *Dicit autem ipse Angelus, septuaginta annorum hebdomadas, id est, annos quadringentos nonaginta, ab exitu sermonis, ut respondeatur, & ut ædificetur Hierusalem, vicesimum Artaxerxis regis Persarum annum habere principium.* Finit eas in Christo, non in excidio urbis, dum ait postea: *Ex illo tempore, si numerare velis, septuaginta usq; ad Christum poteris invenire. Quod si harum principium ab alio tempore voluerimus sumere, & tempora non concurrent, & multa reperiemus contraria.* Quod ibi demonstrat, & subdit: *A vicesimo autem anno Artaxerxis regis usq; ad Christum, complentur hebdomadæ septuaginta, juxta lunarem Hebræorum supputationem:* Id enim ille peculiare habet, ut existimet

ſtimet annos lunares hîc computandos eſſe. Euſebius lib. VIII. Demonſtr. Evangelic. cap. de Daniele, inprimis diviſionem hebdomadum attendit, quod dicuntur ſeptem, & ſexaginta duæ, & una; & per Chriſtum ducem intelligit Pontifices, qui poſt reditum ex Babylone populo præfuerunt usq; ad Meſsiam, & dicit: *Ut hac ratione primæ quidem hebdomades ſeptem à Cyro ad Darium; reliquæ verò ſexaginta duæ à Dario ad Imperatorem Romanorum Pompejum continuentur.* Habet & aliam explicationem, ut à ſexto anno Darii, qui poſt Cyrum & Cambyſen filium ejus in Perſia regnavit, quando quæ ad templum pertinebant conſummata ſunt, usq; ad Herodem, & Cæſarem Auguſtum hebdomadæ ſeptem & ſexaginta duæ numerentur, quæ faciunt annos quadringentos octoginta tres, quando Chriſtus, hoc eſt, Hircanus noviſsimus Pontifex de genere Machabæorum ab Herode jugulatus eſt. In ultima hebdomada hoſtiam & ſacrificium ceſſaſſe putat, quia Chriſtus tunc paſſus fuerit. Quanquam perplexè loquitur, & rem ſatis involvit, uti in ipſo videre eſt, & apud Hieronymum l. c. qui & hujus ſententiam recenſet. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi XII. Illuminatorum inchoat has ſeptimanas à Dario Medo, dum ſcribit: *Dixit igitur* (Angelus) *quòd poſt ædificationem Hieruſalem quadringentis octoginta tribus annis peractis: tunc veniet quidam alienigena rex, cujus tempore naſcetur Chriſtus. Darius igitur Medus ædificavit Hieruſalem octavo regni ſui anno.* Subjicit: *Temporum itaq; hucusq; habes demonſtrationem, quamvis non deſint aliæ diverſæ de prædictis Danielis hebdomadis annorum interpretationes.* Chryſoſtomus Homilia XXXVI. ad populum Antiochenum, quæ eſt III. adverſus Judæos, inchoat has ſeptimanas cum Africano à vigeſimo anno Artaxerxis Longimani: *Non fuit extructa* (Hieruſalem) *ſub Cyro*, inquit, *ſed ſub Artaxerxe cognomento Longimano.* Videtur autem finem earum ſtatuere in excidio urbis ac templi, vel certè ex hoc illum probare, dum ait: *Nos igitur hinc quadrin-*

dringentos octoginta tres annos si numeraverimus, haud dubiè veniemus ad hanc subversionem. Severus Sulpitius lib. II. Historiæ, Tom. VII. Bibliothecæ magnæ Patrum, initium hebdomadum harum à Dario Notho sumit, quem ille Ochum vocat, & templum restituisse dicit. Inter alia hæc habet: *Cæterùm à restitutione templi usq; in eversionem, qua sub Vespasiano consule Augusto, per Titum Cæsarem consummata est, anni CCCC LXXX & III. Prædictum id olim est à Daniele, qui ab instauratione templi usq; in eversionem LX & IX. hebdomadas futuras pronunciaverat.* Sic Patres quidem dissentiunt in statuendo initio & fine harum septuaginta hebdomadum, quia scilicet Deo his exercere eos, qui scripturas scrutantur placuit; at in eo omnes consentiunt, quod intra has septimanas, id est, annos CCCCXC necesse fuerit Christum venire, adeoq; dum Judæi id negant, nihil aliud, quàm suam cœcitatem, qua divinitus percussi sunt, ostendunt. Qua de re meritò notamus verba Eusebii lib. VIII. Demonstr. Evangel. cap. de Daniele, sub finem: *Quod si Judæi non credere se ista respondeant, arguendi sunt tanquam ij, qui non solùm impudenter rebus veris ac manifestis repugnent, sed etiam vaticinia sua, ut falsa, quantum in ipsis est, calumnientur.* Et Nicolaus Lyranus, conversus Judæus, in Commentar. ad Danielis IX. cum satis prolixè egisset de his septuaginta hebdomadis, in fine tandem subdit: *Nec remanet Judæis excusatio ex diversitate computationum, cum tempus LXX hebdomadarum, de quo hîc agitur, qualitercunq; computetur, per mille annos transierit in præteritum, & amplius. Sola igitur obstinatio malitiosa tenet eos in perfida expectatione Messiæ.*

X. Porro Messias ad templum secundum venturus, idq; gloriâ suâ impleturus erat: Qua de re Malachias prophetarum ultimus, qui tempore excitati templi secundi vaticinatus est, cap. III. 1. ita loquitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum*

Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum; & quis potest sustinere diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? Per hunc Dominum vel dominatorem & Angelum testamenti Messiam intelligendum esse, nemo dubitare potest: Quem enim magis desiderabant isto afflicto tempore dominatorem, quàm Messiam, qui omnia in integrum restitueret? & quis poterat esse Angelus fœderis, cum populo Dei ineundi, quàm Messias? Idem antecedentia ostendunt: Cap. II. enim reprehenderat Deus vitia sacerdotum istius temporis, quos quidem oportebat legem custodire, quoniam essent Angeli Domini exercituum; at illi recesserant â via & fregerant fœdus; ideo rejectis iis, alium Angelum promittit, qui ante se viam paret, Eliam, & ipsum Angelum magni consilii, Esai. IX. 6. seu Angelum fœderis novi, æternùm duraturi, Messiam. Inde & dicitur in Hebræo Haadon, ille singularis & magnus Dominus seu Dominator, dudum promissus, & semper â populo desideratus. Rabbi Moses, filius Maimon, in Hilcoth melachim exponens hunc locum sic ait: *In diebus Messiæ per Spiritum S. qui requiescet super eum, genealogizabuntur filii Israel per os ejus, sicut dictum est, Malach. III. Ecce ego mitto angelum meum &c.* Unde constat, quòd & doctiores Rabbini non aliter, quàm de Messia hunc locum interpretati fuerint. Cum hoc dicto conjungimus & aliud prophetæ Haggæi vaticinium, qui eodem ferè tempore cum Malachia, nempe initiò templi secundi vixit, & cap. II. 7. ista prodidit: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Hîc Messias appellatur desi-

desideratus omnium gentium, ut à Malachia vocabatur dominator, quem quæreret populus Judaicus, & Angelus fœderis, quem vellet: Tunc enim nihil magis populus afflictus desiderabat, quàm Messiam. Gentibus autem erat desiderabilis, quæ, quia eum nondum cognoscebant, suo tempore illum desideraturæ erant. Ideo & hæc de Messia interpretatus est Rabbi Akiba in Talmud, in Tractatu Sanhedrin, capite Chelek, ubi sic legitur: *Rabbi Akiba exponebat, Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & adducam desiderium cunctarum gentium, de diebus Messiæ, & de rege Messia, & de tempore, quod fecit post destructionem primæ domus. Alia expositio: Adhuc unum modicum est: modicum scilicet regni venturi Israel post destructionem prioris domus. Et post illud regnum, Ecce ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & omnes gentes: & postea veniet Messias.* Quæ duplex Rabbinorum expositio omnino hoc vaticinium de adventu Messiæ esse intelligendum confirmat. Quia ergo secundum prædictionem horum prophetarum ab excitatione templi secundi breve tempus est usq; ad Messiam; nunc autem ex illo tempore usq; ad nos plus quàm bis mille ducenti anni effluxerunt, qui non parvum aut modicum, sed grande temporis spacium faciunt; sequitur omnino, Messiam jam pridem venisse. Deinde, quia Messias ad templum suum, id est Hierosolymitanum, quod tunc iterum extruebatur, venturus erat; & templum illud jam ante mille sexcentos annos excisum est à Romanis; omnino ante tantum temporis tractum Messias jam venerit necesse est. Porro, quia major gloria futura erat domus secundæ, quàm domus primæ, nec ea poterat consistere in vasis & instrumentis templi, nec in ipso ædificio, aut aliis quibusdam rebus, in quibus omnibus gloria prioris templi major fuerat; oportet sanè illam esse præsentiam Messiæ, quòd ille in domo secunda in templo à Zorobabele extructo compariturus esset. Externum enim splendorem

Deus ipse hîc removet, dum dicit: *Meum est argentum, & meum est aurum*, id est, non desidero argentum & aurum amplius ad ornatum templi mei, aliam in ipsum gloriam inducam: Ista enim locutio rejectionis indicium est, sicut cum ait Psalm. XLIX. 10. *Meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus & boves*, se ea non desiderare indicat. Videns enim Deus structores templi admodum negligentes esse & in ipso opere deficere, imparem planè hanc structuram priori cernentes, nova promissione per Haggæum eos excitabat, quòd scilicet suâ gloriâ ipse Mesias hoc templum impleturus esset, & illud longè illustrius redditurus, quàm prius fuisset. Quia igitur istud templum jam ante tot secula funditus eversum, istam gloriam nunc capere amplius non potest, sequitur, jam dudum Mesiam venisse.

XI. Objiciunt Judæi primò, gloriam domus secundæ constitisse in annis, & ædificio, quia prima domus durârit annos CCCCX, secunda autem annos CCCCXX; & ædificium fuisse splendidius, postquam ab Herode fuerit instauratum & exornatum. Sed quid sunt decem anni, quibus superari dicunt templum primum à secundo? Non exiguam aliquam prærogativam, sed magnam gloriam domus secundæ præ prima futuram propheta prænunciat. Et deinde non simpliciter tantò præstantior res est, quantò diutius durat, sed si aliunde jam præstantiam & dignitatem suam habeat, inde melior fuerit: Ignominia enim & afflictio tantò pejor est, quantò diutius durat, & captivitas Judæorum moderna tantò pejor est priori sub imperio Babylonico, quantò diuturnitate temporis illam vincit. Sic & templo secundo toties violato, prophanato, conculcato ista diuturnior duratio majus potius dedecus attulerit. Primum enim prophanavit illud Antiochus Rex Syriæ, ablatis & confusis sacris vasis, & omnis generis abominationibus templo illatis, inprimis posito super ipso altari idolo, I. Maccab. I. 33. & seqq.

II. Maccab. V. 15. & seqq. cap. VI. 1. & seqq. apud Josephum lib. XII. Antiquit. cap. VII. Deinde prophanavit illud Pompejus Magnus, qui Hircano & Aristobulo inter se contendentibus, Hierosolymam cepit, & vi occupato templo ipsum sanctum sanctorum ingressus cum aliis quibusdam, conspexit, quæ solis sacerdotibus videre fas erat, teste Josepho lib. XIV. Antiquit. cap. VII. VIII. & lib. I. de Bello Judaico cap. V. ubi inter cætera: *Nihil gravius*, inquit, *in illa clade Judæorum genti visum est, quàm sanctum illud arcanum, neq; cuiquàm prius visum, alienis esse detectum.* Meminit ejus violationis & Florus lib. III. Histor. cap. V. itemq; Tacitus lib. V. Histor. Deniq; & Marcus Crassus illud prophanavit, ablatâ inde contra datam fidem & præstitum juramentum pecuniâ, quam Pompejus non attigerat, duobus talentorum millibus, quod itidem refert Josephus lib. XIV. Antiquit. cap. XII. & lib. I. de Bello cap. VI. Sic nec in ædificii amplitudine & pulchritudine ultimum templum cum primo comparari potuit: Ideo enim seniores, qui primum templum viderant, conspecto hoc ædificio vehementer flebant, quod illud planè impar priori in amplitudine & pulchritudine conspicerent, I. Esdræ III. 12. Et hæc de re ipse testabatur Herodes, cum populo instaurationem templi promitteret, apud Josephum lib. XV. Antiquit. cap. XIV. Oratione enim ad populum habita sic ait: *Templo huic, quod postliminio reversi à captivitate Babylonica patres nostri instauraverunt, desunt ad priscam altitudinem LX cubita; tanto enim celsius erat vetus illud Salomonis ædificium: nec hoc culpâ majorum nostrorum accidit, per quos non stetit, quin par illi pristinæ structuræ surgeret: sed hanc mensuram præscripserunt Cyrus & Darius Hystaspis filius, sub quorum imperio quia illi tunc vixerunt, sicut postea Macedonum, non potuerunt assequi primum illud pietatis archetypum.* Etsi verò Herodes majus & splendidius templum reddiderit, quàm Zorobabel illud ædificaverat, nequaquam tamen æquale priori à Salomone extructo

tructo illud efficere potuit: Neque enim Herodes vel divitiis, vel potentia, vel genere, vel pietate, vel ulla alia re cum Salomone comparari potuit. Ideo Salomon auro omnia operuit, & Cherubim ex auro fecit solido, III. Reg. VI. 27. 28. quod pariter Herodes præstare non potuit, non solùm quod facultatibus Salomone inferior esset, sed & quod Cherubinorum effigiem ignoraret, uti dicit Josephus lib. VIII. Antiquit cap. 2. ubi de templo Salomonis agit: *Hæ Cherubicæ effigies quanam specie fuerint, nemo vel conjicere potest vel eloqui.* Describit Josephus utrumq; templum Salomonis & Herodis omni industria, & inter cætera dicit, toto eo tempore, quo templum ab Herode fuerit instauratum, *non pluisse, noctu tantùm imbribus descendentibus, ne interrumperetur ædificatio*, lib. XV. Antiquit. cap. 14. seu ultimo, in fine; sed quod Salomoneo æquari potuerit, ne verbo quidem meminit. I. Paral. XXII. 14. dicitur, quod David seposuerit ad templi structuram *centum millia talentorum auri, mille millia talentorum argenti, æs & ferrum sine pondere.* Unde Herodi tantæ divitiæ, qui sepulchrum Davidis spoliare cogebatur, ut pecuniam acciperet, teste Josepho lib. XVI. Antiquit. cap. II. In templo Salomoneo extruendo laborabant *septuaginta millia bajulatorum & octoginta millia fabrorum præter præfectos operum*, III. Regum V. 15. at Herodes tantùm *decem millia operariorum* adhibuit, lib. XV. Antiquit. cap. 14. Præterea populus petebat ab Herode, ut & orientalem instauraret porticum, olim à Salomone extructam; sed quod opus difficile esset, & multum pecuniæ requireret, petito annuere noluit, sicut nec potuit, lib. XX. Antiquit. cap. 8. Deniq; posito quod secundum templum splendidius fuerit ædificiô & structurâ, ea res sanè vilior fuerit, quàm ut gloria templi Dei in ea consistere potuerit, quod ipsi Judæorum Rabbini agnoscunt. In Talmud, in libro, qui dicitur Joma, capite quod incipit: Sibhat jamim kodem hakkipurim: *Dixit Rabbi Acha, Quid est, quod scriptum est, Agg. I. 8.*

I. 8. Et complacebo in ea, veeccabda & honorabo eam? Quid sibi vult, quod inde deest litera He? Hæ sunt quinq; res, quæ fuerunt inter primum sanctuarium & secundum. Sunt autem hæ: Arca cum propitiatorio & cherub, & ignis, & Divinitas, & Spiritus S. & Urim & Tummim. Et non erat ibi? Erat utiq; sed non valebat, id est, absq; virtute & operatione erat. Item in Midras Sir Hassirim super illud Cantic. VIII. 8. *Soror nobis est parva, & ubera non sunt ei*, ista leguntur: *Hæ sunt quinque res, in quibus fuit diminuta domus ultima à prima: & hæ sunt: Ignis, & oleum unctionis, arca, & Spiritus S. & Urim & Tummim. Hoc autem est, quod scriptum est, Agg. I. 8. Et placebit mihi in ea, & honorabo eam, scriptum est sine He, quod significat quinq;.* Hæc ergo defecerunt in templo secundo, videlicet Urim & Tummim in pectore sacerdotis, quo futura & abscondita significabantur; & arca fœderis, quæ habebat tabulas legis, & manna, & virgam Aaronis; & ignis, qui de cœlo datus erat ad sacrificia; & divinitas seu præsentia Dei, se ostendens in sancto sanctorum: & Spiritus sanctus, id est Spiritus propheticus: & quia his nihil æquari potest vel anteferri, quàm præsentia Messiæ, sequitur manifestè, quòd gloria templi secundi præsentia Messiæ fuerit.

XII. Secundò objiciunt, Malachiam & Haggæum non loqui de templo secundo Zorobabelis, sed de tertio, quod ædificaturus sit Messias, quoq; splendidius futurum sit, quàm templum Salomonis. Sed hoc scopo verborum planè adversum est: Intendit enim Deus solari & excitare Zorobabelem ducem & Jesum Sacerdotem ad templum secundum ædificandum, qui viderant, se priori domui parem extruere non posse: nullum autem solatium inde habebant, quod aliud tertium extruendum esset in fine mundi, sed quòd hoc ipsum, à se extructum, majori gloria implendum esset, hoc ipsis solatio erat. Deinde brevi id futurum, dicit propheta, ut gloriâ majori templum impleatur, tot autem elapsa secula ab excidio templi secundi non

sunt

sunt breve vel modicum tempus. Porro disertè dicit Deus: *Implebo habbait hatse domum istam gloriâ: Major erit gloria habbait hatse haacharon domus hujus novissimæ, quàm primæ.* Quomodo & LXX. interpretes verterunt: *Implebo τὸν οἶκον τοῦτον domum istam gloria: Magna erit gloria τοῦ οἴκου τούτου domus istius, novissima super primam.* Chaldaica versio Jonathanis pariter: *Implebo jat beita hanc domum gloria: Major futura est gloria de beita hadein domus hujus postremæ, quàm primæ.* Syrus quoq;: *Istam domum gloria repleturus sum. Et erit gloria domus hujus posterioris multò major, quàm prioris.* Arabs cum LXX. interpretibus convenit. Ulterius, non potest iterum ædificari templum post excidium â Tito ei illatum, uti testatur id Daniel IX. 27. In Hebræo Masoretico codice, quem nunc habemus, verba obscura sunt: *Et super alam abominationum stupefaciens, & usq; ad consummationem & decisam effundet se super obstupescentem.* LXX. clarius mentem prophetæ expresserunt: *Et in templo abominatio desolationum: & usq; ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem.* Syrus quoq; ex Hebræo mentem Prophetæ ita expressit: *Super extremitates abominationis vastitas: usq; ad consummationem sententiæ manebit in vastitate.* Latinus vulgatus interpres omnium clarissimè: *Et erit in templo abominatio desolationis; & usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Unde manifestum est, nunquam templum Hierosolymitanum reædificandum & â Judæis occupandum esse. Id quod & eventus docuit: Quoties enim Judæi rebellarunt, & locum, ubi stetit urbs & templum occupare aggressi sunt? Sed vanam semper se operam sumere, cum suo exitio docuerunt. Rebellarunt enim sub Trajano Imperatore in Mesopotamia, ubi Lysias Quietus eos interfectis multis millibus in ordinem redigere cogebatur, teste Eusebio in Chronico, anno post Christum natum CXVIII. & lib. IV. Histor. Eccles. cap. II. Furorem Judæorum describit

Dion Cassius, scriptor Gentilis, in Trajano, lib. LXVIII. in fine, dum ait: *Interim Judæi, qui circa Cyrenem habitabant, Andrea quodam duce, Romanos pariter atq; Græcos concidunt, vescunturq; eorum carnibus, eduntq; viscera, tum oblinuntur eorum sanguine, & pellibus induuntur. Multos à vertice ferris discidère medios, multos objecère bestiis, multos etiam certare inter se coëgerunt, ita ut interierint hominum ad ducenta viginti millia. Præterea in Ægypto Cyproq; Artemone duce multa consimilia perpetrarunt, ubi desiderata sunt hominum ducenta quadraginta millia.* Sed facilè à Romanis oppressi, divinæ ultionis omnibus exemplum facti sunt. Quod & accidit sub Hadriano Imperatore, qui non tantùm bello eos contrivit, sed & Hierosolymā intrandi ipsis licentiam ademit, teste Eusebio in Chronico, anno CXXXVII. & lib. IV. Histor. cap. 6. Ælium Hadrianum urbem novam, eo in loco excitatam, Æliam Capitolinam à suo nomine appellâsse, & quo in loco templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curâsse, refert Dion Cassius in Hadriano lib. LXIX. Addit Judæos ubiq; gentium tumultuatos, sed à Romanis passim concisos fuisse. *Cæsa sunt*, inquit, *excursionibus præliisq; hominum quingenta octoginta millia: eorum autem, qui fame, morbo, & igni interierunt, infinita fuit multitudo, ita ut omnis penè Judæa deserta relicta fuerit.* Deniq; & sub Constantino Magno rebellarunt, teste Joh. Chrysostomo Homil. XXXVI. ad populum Antiochenum, quæ est adversus Judæos III. *Sub Constantino*, inquit, *eadem aggressi sunt: At ille viso ipsorum conatu amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signô impressò corpori illorum, per omnia loca eos circumferebat, ceu fugitiva mancipia ac verberones, corporibus mutilatis conspicuos eos faciens omnibus, ac eos, qui per omnes regiones erant sparsi, erudiens, ne inposterum eadem conarentur.* Medio seculo IV. Imperatorem Julianum, apostatam, ex Christiano Ethnicum, patronum nacti, qui ipsis sumptus suppeditavit, & omni eos ope ad templum iterum extruendum adjuvit, in

in pace rem aggrediebantur: sed cælitus territi à cœpto desistere coacti sunt. Cum enim fundamenta nudarent, ignis inde exiliens exussit multos, quod suo tempore contigisse, refert Chrysostomus loc. cit. Inter alia: *Et nunc, ait, si redeas Hierosolymam, conspicies nuda fundamenta: quod si causam quæras, non aliã, quàm hanc audies. Hujus rei nos omnes testes sumus. Nostra enim ætate hæc non ita pridẽ acciderunt.* Idem testatur Ruffinus in fine seculi IV. lib. I. Histor. cap. 37 & seqq. Socrates seculo V. lib. III. Hist. cap. 17. Theodoretus eodẽ seculo lib. III. cap. 17. & Sozomenꝰ ejꝰ coætaneꝰ lib. V. cap. 21. Sed contra Judæos forsan plus valuerit hominis Ethnici, Ammiani Marcellini, testimonium, qui & ipse eo tempore sub Gratiano & Valentiniano vixit, Chrysostomo prior, & lib. XXIII. Historiæ, initiò, hac de re ita loquitur: *Ambitiosum quondam apud Hierosolyma templum, quod post multa & internecina certamina obsidente Vespasiano, posteaq; Tito, ægrè est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis: negotiumq; maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cum itaq; rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretq; provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum: hocq; modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum.* Hac ille. Deniq; ipsi Judæi antiqui doctiores tantùm duo templa nôrunt in hoc seculo, & tertium in futuro, uti loquuntur in Talmud, in Veelle debarim Rabba seu Expositione Deuteronomii, in illud cap. XXXIII. v. 12. *Inumbrabit super eum tota die, & inter humeros ejus habitabit: Protegens super eum, illud est ædificium primum: tota die, hoc est ædificium ultimum: & inter scapulas ejus habitans, ædificatum & consummatum in seculo futuro. Alia expositio: Protegens super eum, in seculo isto: Tota die, ad dies Messiæ: & inter scapulas ejus habitans, ædificatum & perfectum ad seculum futurum.* Ejusmodi plura habet Raymundus Martini, seculi XIII. scriptor,

Pugionis Fidei part. II. cap. IX. §. 14. & seqq. & qui inde ferè omnia desumpsit, Petrus Galatinus lib. V. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 10.

XIII. Christianæ Ecclesiæ doctores parcè hæc dicta Malachiæ & Haggæi contra Judæos urgent: Ex Haggæo tamen Justinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone Judæo, in medio, dicit, Christum *gloriam Domini à Spiritu S. vocari.* Et qui hæc prophetarum verba attingunt, de Christi adventu ea interpretantur. Hieronymus in Commentar. ad Malach. III. ita scribit: *Nulli dubium, quin dominator iste Salvator sit.* Non tantùm de Christianis sed & Judæis antiquis & Rabbinis sui temporis, quibuscum ipse multùm conversatus est, hoc eum dicere existimo. Unde & subjicit: *Judæi hoc quod dicitur: Ecce ego mitto Angelum meum de Helia Propheta dictum intelligunt; & quod sequitur: Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis, referunt ad ἠλειμμένον, hoc est, Christum suum: quem dicunt ultimo tempore esse venturum. Sed miror, quomodo eos rerum exitus non doceat veritatem. Quod enim templum suum inveniet dominator, quod usq; ad fundamenta destructum est? aut si ab alio extruendum est, antequam Christus adveniat, quid Christus eorum amplius facturus est, cum ab alio restituta sint omnia?* Aliàs ille per templum Ecclesiam intelligit, dum ait: *Iste igitur statim & velociter veniet ad templum suum, id est, Ecclesiam.* Sed hoc forsan in sensu mystico dicit. In Commentar. ad Haggæi II. hæc annotat: *Nunc polliceor vobis, me adhuc semel cœlum, & terram, & mare & aridam commoturum: ut illis commotis commoveantur omnes gentes, & veniant juxta LXX. quæ electa sunt Domini de cunctis gentibus: juxta Hebraicum verò: Veniet desideratus cunctis gentibus, Dominus noster atq; Salvator.* Et in sequentibus: *Commotis ergo gentibus — — venerunt electa omnium gentium, & repleta est gloriâ domus Domini: quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum*

 veri-

veritatis. Hæc secundum LXX. Cæterùm in Hebraico melius & significantius habetur, ut supra posuimus: Et movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. Verè enim, postquam ille venit, impleta est gloriâ domus Domini. Et quantum Dominus distat à servo, tantùm domus Domini melior est, cui præest Dominus, à domo priore, cui præfuit servus. In Hebræo Masoretico textu, quem nunc habemus, legitur: *Chemdat col haggoim desiderium omnium gentium*; at LXX. legerunt olim *chemdot desiderata, electa*, quod melius respondet plurali *ubau & venient*; electa autem gentium sunt electi Deo per fidem in Christum ex gentibus, sicut Hieronymus interpretatur, vel etiam pretiosa quæq; gentilium, quæ ad Christum & Ecclesiam allaturi erant, colla ei submittentes. Hieronymus autem videtur legisse suo tempore *Chamud desideratus*, & *ba*, non *bau*: Dicit enim in Hebræo haberi: *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Cyrillus Alexandrinus Commentar. ad Malach. III. Tom. III. variè templum accipit, ad quod Christus venturus erat, conjungens sensus mysticos cum literali, dum ait: *Venturum verò ad templum suum dicit, aut quia verbum caro factum est, & tanquam in templo, quod è castissimo sanctæ Virginis corpore susceperat, habitavit; aut in homine perfecto, qui ex corpore, inquam, & anima immediatè, & divina providentia coagmentatus esse creditus est; aut templum simpliciter nominat Hierusalem, utpote sanctam, & sibi dedicatam civitatem; aut Ecclesiam in typo ejus.* In Commentar. ad Haggæi II. septuaginta interpretum versionem sequitur, & inter cætera sic ait: *Fuerunt innumeri ex omni gente insignes & electi, qui crediderunt, & quasi splendida quædam anathemata seu donaria in domum Dei congregati, & illi ita decus conciliantes, eamq; gloriosam & celebrem reddentes, à Christo vicissim glorificati sunt --- Ne inglorium fore existimetis templum, quoniam auro & argento, splendidisq; divitiis fortasse carebit. Non indigeo his: Meum est enim argentum & aurum omne. Potius germanos & sin-*

ſinceros adoratores requiro: Horum fulgore templum meum inaurabo. Et poſtea: *Verum eſt igitur, gloriam noviſſimi templi, Eccleſiæ puta majorem fore.* Sic veteres tum de templo Hieroſolymitano, quod ſua præſentia Chriſtus illuſtravit, tum de Eccleſia, quæ multò majori præ Synagoga præcelluit gloria, hæc interpretantur; &, ſive deſideratum ipſum Meſſiam, ſive ſectatores ejus electos ex omnibus gentibus intelligant, eodem res recidit, nempe quod ex his prophetarum dictis manifeſtè ſequatur, Chriſtum jam veniſſe. Addimus & Lyræ explicationem, non ſolùm quia egregiè loca hæc declaravit & â depravationibus Judæorum vindicavit, ſed & quòd converſus Judæus fuerit, & arcana eorum optimè ſciverit. Agit autem hac de re in Commentario ad iſta loca; & in Libello adverſus Judæos quæſt. III. de tempore incarnationis Chriſti, in fine Operum ſeu ſextæ partis. Et ille in utroq; loco habet: *Deſideratus cunctis gentibus*, & in poſteriori addit: *Secundum omnes expoſitores Hebræorum habetur, quod iſte deſideratus eſt Meſſias ſive Chriſtus.* Probat autem, Meſſiam jam veniſſe, quia modicum ſit tempus ad Meſſiam, cum tot ſecula jam effluxerint: deinde quia dicatur deſideratus vel Meſſias venturus ad templum tunc ædificatum, quod â tot ſeculis jam eſt deſtructum; & denique quia major futura ſit gloria domus ſecundæ, quàm primæ. Et ſubdit: *Hoc autem non intelligitur propter majores divitias ſeu honores, ſeu cultum divinum, vel ædificatores, quia ſtatus populi tunc erat quaſi nullus reſpectu illius domus & ſtatus, qui fuit ſub Salomone.* Conjungit & locum Malach. III, & refutat, quod dicunt Judæi de duratione templi ſecundi, quia ſi propter durationem major ſit gloria domus ſecundæ, major utiq; & gloria fuerit viliſſimi cujusq; lapidis, quàm hominis, quia diutius duret; item quia ſecundum computationem & hypotheſes Judæorum prima domus ſteterit annos CCCCXXVII. diutius, quàm ſecunda. In Commentar. ad Haggæi II. citat & Rabbi Akibam,

dum scribit: *Huic dicto concordat expositio Rabbi Aaquibæ, de quo dicitur in libro Sanhedrin, qui apud Hebræos authenticus est: qui sic exponebat passum istum: Adhuc unum modicum est, scilicet regni venturi Israel post destructionem primæ domus: & post illud regnum commovebo cœlum & terram, & movebo omnes gentes, & veniet Messias.*

XIV. Ulterius & hoc certum est, quod Messias venturus esset eo tempore, quo Romanum imperium in summo esset flore, & cum Judæorum potentia conjungeretur. Id indicat Daniel II.31.& seqq. interpretans somnium Regi Nabochodonosori de *statua grandi & terribili, cujus caput erat aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis. Hanc videbat donec lapis abscissus sine manibus percussit statuam in pedibus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita fuerunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in pulverem arearum in æstate, abstulitq; illa ventus, nec locus eorum inventus fuit: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Hoc de quatuor maximis regnis interpretatur Daniel: Caput aureum est regnum Assyriorum & Babyloniorum; pectus & brachia argentea sunt regnum Persarum & Medorum; venter & femora ærea regnum Macedonum & Græcorum; tibiæ ferreæ & pedes partim ferrei, partim fictiles regnum seu imperium Romanorum, quod omnia contrivit & subjecit, attamen divisum fuit propter discordiam, & partim robustum, partim fragile, commixtum quidem humano semine, sed non cohærens. *Tempore horum regnorum Deus cœlitus excitaturus erat regnum æternum duraturum, & omnia regna sibi subjecturum, & destructurum.* Hic probè observandum est, primò quod per lapidem hunc Messias, & per regnum hoc quintum regnum Messiæ denotetur.

Nam

Nam & alibi Mesſias lapis appellatur, *lapis, quem reprobarunt ædificantes*, Pſalm. CXVII. 21. *lapis offendiculi & petra ſcandali*, Eſai. VIII. 14. *lapis probatus angularis pretioſus*, Eſai. XXVIII. 16. Rabbi Saadias Gaon in Notis ad Danielis II. *Et lapis*, inquit, *qui percuſſit ſtatuam, ipſe eſt regnum Meſſiæ, filii David, ſicut dictum eſt de eo* (Eſai. XI. 4.) *Et percutiet terram virga oris ſui & ſpiritu labiorum ſuorum.* Et in Breſit Rabba ſuper illud, Et egreſſus eſt Jacob de Beerſebah dicitur: *Poſtquam Rex Meſſias vindicaverit ſe de Eſau, ipſe fiet rex magnus, & hoc eſt quod ſcriptum eſt, Et lapis, qui percuſſit imaginem, factus eſt mons magnus & implevit univerſam terram.* Per Eſau intelligunt Judæi Romanos, quippe à quibus perſecutionem paſſi ſunt, ut ab Eſau Jacob. Secundò notandum eſt, quod lapis percuſſerit ſtatuam, cum adhuc ſtaret integra & erecta in pedibus, id eſt, cum imperium Romanum eſſet in ſummo vigore, necdum aliquam diminutionem paſſum eſſet. Tertiò, quod mixta adhuc fuerint ferrum & teſta, magna & debilis potentia, id eſt potentia Romana, & potentia Judæorum: Hi enim teſta figuli vocantur in ſcripturis paſſim. Eſai. XXIX. 16. *Perverſa eſt hæc veſtra cogitatio: quaſi ſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo, non feciſti me, & figmentum dicat fictori ſuo, non intelligis.* Cap. XLV. 9. *Væ diſceptanti cum factore ſuo, vas fictile cum figulis luti!* Cap. LXIV. 8. *Et nunc Domine, Pater noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Jerem. XVIII. 6. *Ecce, ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael.* Thren. IV. 2. *Quomodo æquiparati ſunt vaſis teſtaceis, manu figuli factis?* Cum ergo Deus ſæpe populum ſuum jam antea cum luto & teſta comparaverit, veriſimile omnino eſt, quod & eò reſpexerit, quando in viſione Nabochodonoſori oſtendit regnum Romanum ex ferro & teſta mixtum, id eſt, ex Romanorum & Judæorum potentia. Nam & in comparatione cum

ſum;

summa Romanorum potentia, quæ planè ferrea erat, omnia concutiens, Judæorum potentia quasi lutea & testacea erat, idq; tantò magis, quòd brevi instar testæ confringenda esset, & ab ipsa quidem Romanorum potentia. Quemadmodum enim ferrum in testam delapsum, illam conterit & comminuit; sic & Romanorum potentia delapsa in testaceum Judæorum regimen, illud planè contrivit & in nihilum redegit. In libro Sanhedrin, capite, quod incipit, Echad dine mamonoth, sic dicitur: *Non veniet filius David, donec deleantur duæ domus patrum de Israel; & istæ sunt caput captivitatis Babylonis, & princeps, qui est in terra Israel, sicut dictum est* (Esai. VIII. 14.) *Et erit in sanctificationem, & in lapidem offensionis, & in petram ruinæ duabus domibus Israel. Expositio R. Salomonis: Et erit Salvator Israel ad præparationem & ad lapidem offensionis: Offendet enim pedes statuæ, ferrum scilicet & testam.* Et in Midras tehilim seu in Expositione Psalmorum super titulum Psalmi XVII. *Quando veniet Messias citò, non dicent canticum, donec fuerit reprobatus ipse Meßias --- & donec cadat coram eo habens digitos, hoc est, regnum nequam Romanum, sicut dictum est, Et digiti pedum ejus partim ferrum, partim testa.* Quia igitur Messias venturus erat florente adhuc imperio Romano, illud autem penè defecerit, ita ut vix umbra ejus amplius supersit, Cæsare solis Germanis imperante, nec ullam in Romam & Italiam, item in Jerusalem & Palæstinam amplius potestatem exercente, sequitur quod Messias jam pridem venerit. Item, quia Messias venturus erat regno Judaico adhuc stante, & potestate Judæorum cum Romanorum potestate juncta, regnum autem Judæorum ante sesqui mille annos eversum est à Tito; constat utiq; Messiam jam ante illud tempus venisse.